



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

Speranza, Giuseppe

Coloniæ Agrippinæ, 1659

5. De impedimentis exauditionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44265

qui dicunt : Vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possint dare. Hilaris ergo datores esse debemus, memores illius vulgari, tritiquè proverbii: Bis dat, qui cito dat.

Hic Deimos est, properare, currere, volare, adesse, prævenire: ut beneficium conferat, non moratur. Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Quomodo veniens venit, si moram facit? Ah morula aliquid nescit, ut sic dicam, ut statum colligat, ocyorque currat. Academici illi canem habent venaticum jacentem, & ajunt sub eo: Otior, ut ocyor. Sic ita dixerim, oritur Deus, ut ocyor currat. Veniens veniet, & non tardabit.

Dei ad benefaciendum de-properatio. Habet.

Exod. 28. Sacerdos olim tintinnabula vesti appensa cur gerebat.

D. Thom. op. de beat. c. 2.

Isa. 58.

Pf. 144. Orationes supplicum quam attentus auscultet Deus. Pf. 10. Chald.

August. 1. 8. Confess. c. 7.

Deut. 4.

Onkelus.

Iterum quam cita sit Dei largitio, declarat locus ille Exodi, ubi Sacerdos Sanctuarium ingressus, tintinnabula vesti appensa defererebat. Solent Magnates, ac Principes tintinnabulo servos ad se vocare, qui mox sono percepto accurrunt. D. Thom. op. de Beatitud. Ita Deus curam gerit animarum, ut videatur servus emptivus singularum. Ingredientis igitur ad orandum supplicis ut primum tintinnabulum petitionis audit, accurrit: Invocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & ducet: Adsum. Ubi apparet, Deum veluti servum nostras preces tanquam vocem suorum dominorum expectare, & ut inquit David, quasi ad fores semper tintinnabulum erectis auribus expectare. Propè est Dominus omnibus invocantibus eum. Et in quacunq; die invocavero te, velociter exaudi me. Preparationem cordis eorum audivit auris tua. Chald Arriges aurem tuam ad orationes eorum.

Noverat hoc Augustinus, qui dicebat: Petieram à te castitatem, & dixeram: Da mihi castitatem, & continentiam sed noli modò. Timebam enim, ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ. q. d. Ejus quidem naturæ es, ut statim ac oraris, exorati sis.

Hinc meritò dictum est: Non est alia natio tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi (ad fores semper) sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris, vel juxtà Onkelum: Quis est populus magnus,

A cui Deus ita appropinquet, ut suscipiat orationem ejus in tempore tribulationis, sicut ipsa Dominus Deus noster in omni tempore, quo nos oramus?

Ut currit audito tintinnabili sono: Vox turturis audita est in terra nostra: quasi dicat: Curramus, & c.

Pulchrè expendit Chrysol. illud Lucæ de amico, qui pueros suos secum habebat in cubili, & his prior pulsantem audiebat: O quam pulsanti iste gestivit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocavit ad jannam! O quam non ad janua tantum Dominus, sed ipsa janua Dominus est! Ego sum, inquit, janua. qui dormientibus servis, pulsantis necessitatem solus, & primus audivit.

Facit ad citam exauditionem locus Apóst. Spiritus postulat pro nobis. Communis expositio, est, id perinde esse, ac si diceretur, postulari facit. Donum ergo paravit, antequam donum petamus, qui nos excitat ad donum petendum, quod secum habet, nec opus, ut donum ad donum tollendum revertatur.

Chrysol in orat. Dominic. expendens verbum, Pater: Cum Patrem postulat, inquit, multà prece filius non laborat, sicut enim petere cogit necessitas genitum, ita urget charitas dare genitorem.

Cant. 2.

Chrysol. ser. 39. Luc. 11.

Rom. 8.

Chrysol. serm. 11.

De impedimentis exauditionis.

PUNCTVM V.

CLamabunt, & non exaudiet propter superbiam majorum, hoc est, vel quia Deo non clamant, sed aut lamentantur, aut de sua fortunâ queruntur: vel non Deum, sed cognatos, vel amicos, vel potentes homines obnixè obsecrant: aut certè si Deum orant, non ejus gratiâ & benevolentiam in primis quærunt, sed à malis liberari cupiunt. Hoc sibi vult, propter superbiam malorum, Id est, propter excessum malorum quæ patiuntur, & non propter amorem declamant. De his Propheta: Clamarunt, nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos. Ideò subdens,

Iob. 35.

Orationem cassam multa efficiunt.

Psal. 17.

D 3 con-

Iob. 35. 15. concludit Iob, Non ergo frustra audiet Deus. Heb. Veruntamen vanitatem non audiet Deus, id est, vanas preces, quæ ad ipsum, & pro ipso non funduntur.

Isa. 59. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat: sed iniquitates vestrae dividerunt inter vos, & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.

Chald. Ecce non propter defectum manus non estis salvi, nec quia gravo est coram eo audire, non suscipitur oratio vestra, sed delicta vestra dividerunt inter vos, & Deum vestrum; & peccata vestra fuerunt in causâ, quod averteretur facies maiestatis eius à vobis, ut non susciperetur oratio vestra. O quam verum! Nota: Non propter defectum manus, non quia scilicet sit arctis, aut strictis manibus, sed peccata vestra fuerunt in causâ, ne exaudiremini: peccata vos reddiderunt indignos illius gratiis, divinisque favoribus.

Thren. 3. Opposisti nubem tibi (peccatorum tuorum) ne transiret oratio. Item: Nos iniquè egimus, & ad iracundiam te provocavimus, idcirco tu inexorabilis es.

Luc. 6. Quid vocatis me, (in oratione) Domine, Domine, & non facitis, quæ dico? (Frustrâ vocatis.)

Iob. 16. iux. Oratio mea munda est, & idèd peto, ut detur Sept. in Missa. locus voci meæ in caelo, quia ibi Iudex meus, li. in vigil. & conscius meus in excessis: neceat ad Dominum deprecatio mea.

S. Laur. Scimus quia peccatores Deus non audit, sed, si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

Ioan. 9. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

D. August. August. Cum enim quis odio dignus sit, quâ fronte gratiam requirit? Cui poena debetur, quâ remeritate gloriam deponit? Lacescit Iudicem, qui postpositâ satisfactione delicti, querit proximis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui donari flagitat indebito bravo, & dulcem affectum patris stultus exacerbare filius, qui post illatas contumelias ante poenitudinem hereditatis usurpat certitudinem.

August. Nec mirum: Debet namque facere voluntatem Dei quisquis orat, ut Deus

A faciat voluntatem suam; opusque est, ut orans eandem per amorem cum Deo habeat voluntatem. Si non adferatur, quid impetrabit? Interrogate Iob: Quid est oratio? Dicit, orationem esse conformitatem voluntatis ad Dei voluntatem, ac desiderium gratificandi Deo. Deprecatur Deum, & placabilis ei erit. Cajetanus: Gratificabit Deo. Hebr. Bene volet Deo. Ergo oratio est idem, quod amor Dei.

B Dilexi, inquit David, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ; hoc est, propter amorem in se meum, exaudiet me Dominus. Videtur potius debuisse dicere: Clamavi, idèd exaudiet vocem orationis meæ; sed noverat expertus, & edoctus in cella vinaria, aut cum Chald. in domo gymnasi doctrine, orationem esse amorem, & voluntatem faciendi Dei voluntatem.

C Habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Expende, phialas aureas: aureæ namque dicitur, quia vasa orationis, nimirum corda fidelium, debent esse divino amore succensa, & inflammata.

Hieron. in illud Cant. Sicut virgula sumi ex aromatibus myrrha, & thuris. Bene, inquit, tanquam, virgula sumi; quia diuis extenuata disciplinis, & concreta intus in holocaustu incendio pii amoris, & desiderio charitatis. Ita Greg. Fumus ex aromatibus, compunctio est orationis contra ex virtutibus amoris, que tamen oratio sumi virgula dicitur, quia dum sola caelestia postulat, secreta progreditur, ut ad terrena petenda minimè reflectatur. Non virga autem, sed virgula dicitur, quia interdum in compunctionis ardore tantæ subtilitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere. Subiungitur, myrrha, & thuris, quia thus in sacrificium incenditur, myrrha verò corpora mortua condiuntur, ne vermibus corrumpantur: quare myrrha, & thuris sacrificium offerunt, qui & carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia domineantur, & redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt.

Egregiè Theophylactus hic illam peroris Theophyl. Luc. 18.

Iob. 29. Cajet. Hebr. Oratio amor Dei.

Pf. 114. Cant. 8. Chald.

Apo. 5.

Cant. 3. Hier. ibid. Oratio virgula sumi ex myrrha, & thure. D. Gregor. hom. 22. in Ezech.

Publicanus
cur peccatus in-
uauit.

Et oris functionem expendit, dum Publicanus orauit. Docuit namque Phariseus percutiendo peccatus, quid in actu orandi precipue curandū, nimirum cordis contritionem, & in Deum affectū esse ante omnia excitandum. Tundit, ait, peccatus, ut cor ipsum, quod obdormierat, exciter Deo. Adde & quasi manu designans, unde oratio germana procedat. Unde? A corde contrito, & amante.

Math. 7.

Nec dicat quispiam, hoc non esse necessarium. Christus enim quasi testamento reliquit omnia petentibus: *Petite, & accipietis*; nam & leges civiles statuunt, eum à jure hæreditatis cadere, qui testatoris voluntatem non implet. Verissimum est, Christum testamento à Matthæo conscripto omnia reliquisse: *Petite, &c.* Tu uero, dicit mihi, præstas, quæ spondidisti, adimple testatoris uoluntatem? legem ne, & præcepta ejus obseruas? Audi: Pec-

Pf. 49.

catori autem dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu uero, &c.* Clarius Chald. *Quid tibi cum fœdere meo, ut assumas fœdus meum, & enarras testamentum meum in ore tuo, cum tu proieceris uerba mea post te.* Hoc est, alligas testamentum, quod ipse condidit, & ejus vigore putas omnia absolutè hæreditare? Uti que. Sed exequerisne uoluntatem meam? facisne præcepta mea? Si non facis, *quid tibi cum fœdere meo?* Hæc tibi hæreditas minimè competit. Non reliquit Dominus nobis hæreditatem absolutè (inquit Chrysostr.) sed sub quadam conditione. *Quænam ea est? Qui me diligit, sermonem meum seruet.*

Chald.
Chryst.
Pf. 5.

Ioan. 14. 23.

De quodam Florentio, qui Deum toto corde diligebat, quique ad Deum orando leuabat puras manus, qualiter prope os suum Deum haberet, ita scribit Greg. Apud omnipotentis Dei singulari & munditiâ, atque ejus simplicem naturam multum, Petre, humani cordis munditiâ, atque simplicitas ualeat. Hoc ipsum nanque, quod ejus famuli à terrenis actionibus segregati otiosa loqui nesciunt, & mentem per uerba spargere, atque inquinare deuitant, authoris sui præ cæteris exau-

D. Greg. l. 3.
Dial. cap. 15.
1. Tim. 2.
Jerem. 12.
De quodam
Florentio ex-
audito in pre-
cibus, quod
Deum in præ-
ceptis audiret.

A ditionem impetrant. Cui in quantum est possibile, ipsa puritate, ac simplicitate cogitationis, quasi ex quadam jam similitudine concordant. Nos autem turbis popularibus admixti, dum frequenter otiosa, nonnunquam uero etiam, quod est grauius, noxia loquimur, os nostrum omnipotenti Deo tantò longinquum fit, quantò huic mundo proximum. Multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continuâ sæcularibus admisce-

B mur. Quod bene Isaias, postquam Regem Dominum exercituum uidit, in semetipso reprehendit, & penituit dicens: *Va mihi, quia tacui, quia uir pollutus labiis Isa. 6. ego sum.* Qui cur polluta labia haberet, ostendit, cum subiunxit: *In medio populi polluta labia habentis ego habito.* Pollutione nanque labiorum habere se doluit, sed unde hanc contraxerit, indicauit, cum in medio populi polluta labia habentis se habitare perhibuit. Valdè enim difficile est, ut lingua sæcularium mentem non inquinat, quam tangit, quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti hanc ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus, ut ex eâ jam redire non libeat, ad quam uelut ex condescensione deducti uenimus inuiti. Sicque fit, ut ab otiosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora uerba ueniamus, & os nostrum ab omnipotente Domino tantò jam minus exaudiatur in prece, quantò amplius inquinamur stultâ locutione: quia sicut scriptum est: *Qui auertit aurem suam, ne*

C *audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Quid ergo mirum, si postulantes, tarde à Domino audimur, qui præcipientem Dominum aut tardè, aut nullo modo audimus? Et quid mirum, si Florentius in prece sua citius est auditus, qui in præceptis suis Dominum citius audivit?

D Pulchrè quidem Aug. locum Psalmi: *Auribus percipe, Domine, orationem meam.* August. legit: *Auribus insige, Domine, orationem meam.* & subdit: *Quomodo petiuit, ut figeret orationem in auribus Dei? Respondeat Deus, & dicat nobis: Vis figam orationem tuam in auribus meis? Fige in corde.*

Lingua inter
seculares labi
facile.

Prov. 28.

Pf. 85.
August.
Oratio obser-
uantis legem
fructuosa.

corde tuo legem meam, & intendet Deus A
voci orationis tuæ.

Matth. 7.
Luc. 11.

Hoc sibi voluit Dominus, ut observat
Chryl. qui postquam dixit: *Perite, & ac-*
cipietis; repente subdit: *Pulsate*, scilicet
manu operis, & observantia legis, & *ape-*
rietur vobis infallibiliter.

Psal. 21.
David Deum
manibus ex-
quisivit. Quo
mysterio?

Benè noverat hoc David: *Deum*, in-
quit, *exquisivi manibus meis.* Quid? Est-
ne Deus palpabilis? Ait Augustinus:
Nequaquam, sed manibus operum, ob-
servantiaque præceptorum invenitur. B
Sic, sic, qui coram eo orat, non decipitur.
Deum exquisivi manibus meis nocte contra-
eum, & non sum decipiens; hoc est, in nocte
meorum tribulationum coram eo per ora-
tionem posuit, eundem manu observatæ
legis exquisivi, eundemque tenui, & *non*
sum decipiens.

Psal. 5.

Tunc non confundar (repulsus, & petita
non adeptus) *cum perspexero in omnibus*
mandatis tuis; quòd si non perspexero, C
confundar.

Iob. 11.

Si iniquitatem, quæ est in manu tua, ab-
stuleris, & non manserit in tabernaculo tuo
injustitia, tunc levare poteris faciem tuam abs-
que macula, & eris stabilis, & non timebis.
Ubi Greg. Interna facies hominis, mens
est, in quâ nimirum recognoscimur, ut
ab authore nostro diligamur. Quam
scilicet faciem levare, est in Deo animum
per studium orationis attollere. Sed

Greg. ibid.

elevatam faciem macula inquinat, si in-
tendentem mentem reatus sui conscien-
tia accusat, quia ab spei fiducia protinus
frangitur, si intenta precibus, necdum de-
victæ culpæ memoria mordeatur. Diffi-
dit namque accipere se posse, quod appet-
tit, quæ profecto reminiscitur, nolle se
adhuc facere, quod divinitus audivit.

1. Ioan. 3.

Hinc per Ioannem dicitur: *Sic or nostrum*
non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud
Deum, & quæ quid petierimus ab eo, accipie-
mus. Hinc Salomon ait: *Qui avertit au-*
rem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit ex-
ecrabilis. Cor quippe nos in petitione re-
prehendit, cum resistere se præceptis ejus,
quem postulat, meminit: & oratio fit
execrabilis, cum à censurâ avertit legis,
quia dignum profectò est, ut ab ejus be-
neficiis sit quisque extraneus, cujus af-

Prot. 18.

mirum jussionibus non vult esse subje-
ctus. Quâ in re hoc est salubre remedium, ut
cum se mens ex memoriâ culpæ repre-
hendit, hoc prius in oratione desinat,
quod erravit, quatenus cum erroris ma-
cula steribus tergitur, in petitione suâ
cordis facies ab authore munda videatur.

mirum jussionibus non vult esse subje-
ctus. Quâ in re hoc est salubre remedium, ut
cum se mens ex memoriâ culpæ repre-
hendit, hoc prius in oratione desinat,
quod erravit, quatenus cum erroris ma-
cula steribus tergitur, in petitione suâ
cordis facies ab authore munda videatur.

Oraturus pec-
cator ante de-
scendit peccata.

Surge, & invoca Deum tuum; ajebant
illi, quasi dicerent, nisi à peccato surrexe-
ris, non est, quòd invocas, serenitatemque
postules. *Surge, Surge, & invoca Deum*
tuum. Quam citò exauditus, mox ut sta-
tuit in ventre certi divinam exequi volun-
tatem! Sed donec jacuit, donec relucta-
tus est, ac obtulit Dei voluntati, ò tem-
pestatem! Quid miramur, Fratres, si quas
adhuc patimur tempestates, non cessant,
si tribulationes perdurant, si non exau-
dimur? A peccato non surgimus.

Iona 2.

Sic ille alius post famem validam cu-
piens exaudiri, *Surgam*, inquit, & *ibo, &c.*
Idèd annonæ caritatem experimur, quia
non surgimus. Cupimus à Deo fieri vo-
luntatem nostram; faciamus (justum
est) voluntatem Dei.

Luc. 15.

Chryl ad illud, quod dixit Dominus
ad Ieremiam: *Tu ergo noli orare pro populo*
hoc, quia non exaudiam te. Prædicat, inquit,
Prophetæ primùm, ne cum post orationem
non exaudiat, tribuatur hoc suis demer-
itis. Deinde ut intelligant Iudæi, quòd
nihil eis prodest Prophetæ, nisi & ipsi, quæ
sua sunt, proferre velint. Hoc certè ne-
cesse, ut exaudiamur.

Ierem. 7.

In Vitis Patrum molestiam substine-
bat quidam Frater à spiritu fornicationis.
Abiit autem ad quendam probatissimum
seniorem, & precabatur eum, dicens: Po-
ne tibi sollicitudinem, beatissime pater, &
ora pro me, quia graviter impugnat me
passio fornicationis. Hæc cum audisset
senior, orabat intentè die, ac nocte pro
eo, deprecans Domini misericordiâ. Ire-
bat.

In Vitis Pa-
trum, part. 2.
§. 12.

Quidam oram
non exaudie-
batur, quia ni-
hil, quod è re
sua erat, age-
bat.

tum autem veniebat idem Frater, & ro-
gabat seniorem, ut magis intensius pro
eo rogaret. Similiter autem cum omni
sollicitudine beatus senior orabat inten-
sius pro eo. Frequenter autem venien-
tem ad se Monachum videns senior, & de-
precantem se, ut oraret, valdè con-
tristatus

tristatus admirabatur, quia non exaudiret Dominus orationem eius. Oravit autem Dominum dicens: Domine, revela mihi, unde in hoc Fratre operatio ista Diaboli, quia deprecatus sum te, & requiem necdum inveni. Eadem autem nocte revelavit ei Deus, quia circa illum Monachum erat negligentia, & ignavia resolutio. Ita autem ostensum est sancto seniori. Vidit sedentem illum Monachum, & spiritus fornicationis in diversis mulierum formis ante illum ludetes, ipsumque eis delectari. Videbat autem & Angelum Domini astantem, & indignantem graviter contra eundem Fratrem, quia non surgebat, nec prosternebat se in orationibus ad Deum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis. Hæc autem ostensa sunt sancto seniori per revelationem. Cognovit autem, quia culpa, & negligentia illius Monachi erat, ut non exaudirentur orationes eius. Et tunc reverente Fratre dixit ei senior: Quia culpa tua est, Frater, qui condelectaris cogitationibus malis, impossibile est enim discedere à te spiritum fornicationis immundæ, aliis orantibus, & Deum pro te deprecantibus, nisi & tu ipse laborem assumes in jejuniis, orationibus, & vigiliis multis, cum gemitu deprecans, ut misericordiam suam, & adiutorium gratiæ suæ præbeat tibi Dominus Iesus, ut possis resistere malis cogitationibus. Et Medici, qui corporibus hominum medicamenta conficiunt, & adhibent, quamvis omnia cum summâ diligentia faciant; veruntamen si ille, qui infirmatur, non absteineat à noxiis cibis, vel ab aliis, quæ solent lædere infirmantes, nihil proficiet ei cura, & diligentia, ac sollicitudo Medicorum. Similiter etiam, & in animæ languoribus eveniet. Licet cum omni intentione, & ex toto corde sancti Patres, qui sunt Medici spirituales, exorent misericordiam Christi Domini Salvatoris nostri pro eis, qui orationibus eorum se postulant adjuvari, nisi & ipsi cum omni intentione mentis, tam in orationibus, quam in opere spirituali, quæ Deo placita sunt, fecerint; non eis proficiet negligentibus, & resolutis. & de salute animæ minimè

Speranza Scriptura selecta.

A cogitantibus orationes Sanctorum. Hæc audiens Frater, punctus est corde, & cum omni sollicitudine, secundum omnem doctrinam senioris, statim jejuniis, & orationibus, & vigiliis semetipsum afflixit, & meruit misericordiam Domini, & recessit ab eo spiritus immundæ passionis.

B Præterea: *Homo homini reservat iram, & à Deo quarit medelam?* Hugo Card. hoc est. *veniam peccatorum suorum frustra querit. Relinque proximo tuo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata solvetur* (aliter non.) *Eccl. 28. Hugo Card. ibid. Orat frustra Deum or aliorum.*

C In Isaiâ: *Quod mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quaesivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atrius meis?* vel Hebr. *ut conculearetis atria mea?* *Hebr.*

D *Ne offeratis ultra sacrificium vestrum. Paga sacrificium mendax. Inconsuetum abominatio est mihi Neomeniam, & Sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt coetus vestri.* Pagnin. *Quid convocetis convocationem, non possum ferre iniquitatem cum coetu. Et cum extenderit manus vestras, avertam oculos meos à vobis.* Hebr. *oculi abo oculos meos à vobis, & cum, vel Hebr. etiam quando multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestra sanguine plena sunt. Lavamini, mundate stercus, auferte malum, &c. & venite.* *Hebr.*

E Ad hæc: *Postulet autem in fide nihil hesitant, an Deus, scilicet, potens sit, ut queat, & misericors, ut velit tradere, quod peritur.* Ira Gagnæus, & Cajetanus: *Qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur. Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* *Iacob. 1. Oratio sit absque hesitatione Gagn. Cajet.*

F Tandem: *Petitis, & non accipitis, id quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris infirmatiis, vel Syriacè, ut alatis, seu consummetis concupiscentias vestras; & ideo non accipitis, quod & melius est, quam si acciperetis.* *Iacob. 4. Syriac.*

G *Et dixisti: Da mihi Reges, & Principes. Da tibi Reges in furore meo. Meministi ne illud? Constitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut & univ'rsa habent nationes. Dixit autem Dominus* *Osæ 13. 1. Reg. 8.*

E Dominus

Orationes Sanctorum nihil profunt negligentibus.

Dominus ad Samuëlem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Veruntamen contestare eos, & prædic eis: ius Regis, qui regnatus est super eos. Filios vestros tollet, &c. Nonne itaque melius non accepisse?

*Luc. 15.
Oranti mala
bonum non
exaudiri.
Ambros.*

O quantam consequutus esset utilitatem prodigus, si efflagitatum non obtinisset substantiam! Non abiisset certe in regionem longinquam dissimilitudinis Dei, ut loquitur August. neque vixisset luxuriosè. Nec putes culpam patris, quod adolescentiori dedit, inquit Ambros. Nulla Dei regno infirma ætas, nec fides gravatur annis. Ipse certe se judicavit idoneum, qui poposcit. Utinam, utinam non recessisset à patre impedimentum nescisset ætatis.

*Num. 11.
Aug. tra. 73.
in Ioan.*

Quantam & filii Israel, si concupitas carnes non habuissent? De qua concupiscentia Aug. Male usus eo, quod vult accipere, Deo potius miserante non recipit, proindeque si hoc ab illo peritur, unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne qui posset non dare propitius, det iratus. Fastidiebant, quod habebant, & quod habebant, impudenter petebant, quasi non melius peterent, non ut cibus, qui deerat, indecenti desiderio præstaretur, sed ut ille, qui aderat, sanato fastidio sumeretur. Melius dicere non poterat. Satius illis fuisset carnes non obtinuisse: nam *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, ut inquit David; vel ut est in eodem Num. libro: Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, sepulchra concupiscentiæ. Obiter.*

Psal. 77.

*Psal. 38.
1/4. 24.*

O quot hodie helluones visitant hæc sepulchra! Hi sunt, qui cum non fuerint saturati, murmurabunt. Et super vino erit clamor in plateis, si vinum non sit amabile. Hi cogunt Moysen ad Dominum clamare: *Non possum sustinere onus populi.*

Et notanda duo. Unum, Moysen tunc sensit Superioris onus, cum populus fastidivit manna, quod erat suavissimum, & coturnices concupivit: hæc sunt, ferè dixerim, insupportabilia onera Superiorum. Alterum, nunc Moysen non orasse

A pro hac inordinatâ concupiscentiâ, ut aliâ oravit pro peccato vituli. Quærit Burgensis, cur Moyses non fuerit Dominum deprecatus pro desiderio carniæ, ut fuerat deprecatus pro peccato vituli? Respondet cum Aug. 7. Conf. quod concupiscentia, si ei satisfit, majus robur accipit: Noluit ergo orare, ne concupiscentia indulgeretur: at Dominus ipse dedit; sed in pœnam, &c. Permisit Moyses, ut Deus concederet, quæ concupierant, ut pœna correcti, qui reliqui essent, ulterius non concupiscent, &c.

*Exod. 32.
Burg. addit.
4. ad locum
Num. 11.*

Plerumque non exaudimur, quia exaudiri non meremur; impertinentia petimus, indigna postulamus. Domine, ante te omne desiderium meum. q. d. ait Greg. Tale est desiderium meum ut sit dignum conspectu tuo, hoc est, nihil omnino desidero, quod pudeat à te postulare, à quo non nisi digna postulanda sunt. Talium exauduntur petitiones, qui dicere possunt: Domine, ante te omne desiderium meum, omnes petitiones meæ, non enim sunt petitiones pueriles ceptarum, aut aliorum Egypti, aut conturmicum, sed gratiarum, &c.

*Psal. 37.
D. Gregor. in
mus, indigna
postulamus. Domine,
ante te
Psalm. poenit.
Oratio rerum
futilium in-
digna Deo.*

D) De perseverantia in oratione.

PUNCTVM VI.

Non quia non exaudimur, citò debemus ab oratione cessare, sed perseverare opus est, ac insistere. Ut clauderet cælum Elias, subito exauditus: Ut autem aperiret, ac pluviam obtineret, oravit primò, & nihil obtinuit, secundò prostratus oravit, misitque puerum, ut videret, an nubes aliqua appareret, & cælum serenum erat: oravit tertio, & ne gutta quidem. Quid! Adhuc oras? Utrique quartò, quintò, sextò, septimò. In septima autem vice, ecco nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari, &c. Et facta est pluvia grandis. Sed quid sibi vult vestigiū? Elias vidit. Cur pluvia in vestigio? Denotat hanc nubeculam orationis perseverantiam, & commendat in vestigio

*3. Reg. 18.
Oratio sit per-
tinax, qualis
Eliæ.*

fidu. Quo mysterios.